

stringi sodomitas, aliaque nefanda libidinis monstra: ideo ad longiorem & asperiores adigit poenitentiam. Eos igitur qui hunc reatum ante annos ætatis viginti commiserunt, ad prostratos spatium quindecim annorum amandat: quibus exactis inter supplicantes communicantes ad finem usque sacrae liturgiæ, sed non participes divinæ Eucharistiæ, jubentur quinquennio consistere. Quicumque autem conjugio ligati, & ultra viginti annos protracti istud crimen admiserint, eorum prostratio ad annos viginti continuo prorogatur: posteaque quinquennio supplicant sine Eucharistiæ perceptione. Eos denique qui uxorati sunt, & annum ætatis quinquagesimum transgressi peccaverunt, privat communiione præterquam in exitu vitæ. Quicumque autem cum brutis congressi sunt, amandat Synodus ad *ἡμαρτίων ἡμαρτίων* inter hyemantes, seu tempestate jactatos: qua voce aliqui eos significari volunt qui sub die & aere aperto poenitentiam agunt. Huc pertinere videtur illud Tertulliani tract. de pudicitia: *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora & in sexus ultra jus naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ recto submovemus: quia non sunt delicta, sed monstra*. Alii plerique antiqui non alios intelligunt *ἡμαρτίων* quam Damianicos. Dionysii versio sic ait: *Inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo*. At vero energumens locus erat intra Ecclesiæ limina. Isidoriana quoque translatio sic effert: *Placuit inter eos orare qui tempestate jactantur, qui a nobis energumini appellatur*. Martinus etiam Bracarenis, origine Græcus etiam Bracarum in Hispania Episcopus, in sua Canonum collectione, quam scripsit anno 570. istos *ἡμαρτίων* vertit *demoniacos*. Si autem de coitu contra naturam sit intelligendus cum quibusdam iste locus, eodem spectat Synodi Illiberitanæ canon 71. *Strupratoribus puorum nec in fine damnatum esse communionem*.

9. Baronius ad annum 314. num. 89. docet duas appendices Latinas perperam adscribi Ancyranæ Concilio, nullquam enim Græcæ leguntur, neque reperiuntur in antiquioribus editionibus Dionysii Exigui, aut Isidori, aut Cresconiana; referuntur autem in collectionibus Burcardi, Iyoniæ, & Gratiani sub causâ 26. quæst. 5. can. Episcopi.

Canone isto, qualicumque & undecunque sit, impingitur personis a Satana delusis, & ut vocat, sceleratis, crimen infidelitatis ac hæresis, eo quod credant Dianam & Herodiadem non detineri inferni carceribus, sed noctibus in terris magno apparatu exultare, ac veris animalibus equitando, multarum terrarum spatia peragere grandi comitatu. Canon iste non tantum mulierculis illis attribuit deceptionem ex parte demonum, quæ posset fieri citra ipsarum feminarum hæresim vel perfidiam, res theologicas nescientium per exilitatem ingenii penetrare, sed eam elusionem quæ cum hæresi & perfidia conjungitur, & divinitatem ac numen penes Dianam & Herodiadem inesse credit, aliosque in eandem infidelitatis voraginem pertrahit.

10. Canon iste de strigibus seu fortioribus ac maleficis, quales frequenter deteguntur intelligi minime potest: sed de aliis quibusdam sceleratis, de quibus aliquando extiterint, ignoratur, quæque sectæ vel nunquam vel rarissime occurrunt. Vulgares autem sagæ de Diana vel Herodiade ne somniarunt quidem aut se assecras utriusque esse per noctes equitando, sed videntes & vigilantes unguine quodam sese illinire, appositoque inter femora bacillo statim a demone in aera levati, alioque deserti, ubi cum aliis sibi notis scelerum focis ex condicto confluent, hircum adorant, epulantur, tripudiant, inter se de patrandis flagitiis nefandis deliberant, & turpiter ac promiscue congregiuntur. Quibus peractis nefariis, ab his cacodemonibus qui detulerunt, rursus in pristina loca revehuntur, quæque abeunt vestimenta deposuerant, in reditu reperiunt, & si lubet resumunt. Loca, personas, & singula gesta recognoscunt & urgentibus Inquisitoribus, aut Magistratibus non raro consentunt, rerum circumstantias certo designant, constanter testificantur, mutuoque accusant & convincunt. Nonnunquam etiam displosis in prætereuntem nubem, ex qua voces audiebantur, militariibus sclopetis, vulneribus acceptis, nudi venefici in terram allisi sunt: simile pariter contigit onus deponente demone, atque recedente, quo momento, Mariane salutationis signum matutinum pulsabatur, ut ex plurimis officialium processibus ac inquisitionibus compertum fuit.

11. Possè vero ex naturali facultate, quæ utique tam in bonis quam in perversis angelis integra perdurat, demones corpoream aliquam substantiam alio ex permisso Dei transferre, ac loco movere, nemo Catholicus dubitat. Sacra hoc ipsum testantur pagine de Habacuc Propheta Angelo assumente, qui ex Judæa illum in Chaldaeam in lacum leonum transportavit, in quem

demissus propheta Daniel fuerat ab ipsi devorandus. Legimus in Evangelio Christum a diabolo in templi pinnaculum, & deinde in præcelsum montem delatum. Constat ex historiis Ecclesiasticis, & ex testimonio Clementis Papæ & Martyris, Simonem Magum fuisse per demonem spectante Romæ elatum in sublime, sed orante Petro in ima mox decedentem cruribus effractis jacuisse, postmodumque mortem obiisse. Hanc Spirituum in corpora potestatem agnoscunt unanimes præfati Patres, & recentes Theologi: Clemens lib. 6. Constitut. Apost. cap. 9. Origenes homil. 31. in Lucam, Arnobius lib. 2. contra gent. Egeppus lib. 3. excidii Jerosol. Cyrillus Jerosol. catech. 6. Augustinus lib. 18. de civit. Dei, cap. 18. Epiphanius contra hæret. her. 30. Maximus Taurinensis serm. de natal. Apost. Gregorius Papa lib. 1. dialog. cap. 4. & hom. 26. in Evang. S. Thomas 1. part. q. 5. art. 2.

12. Cumque experimento frequenti liqueat sagas seu lamias a demonibus in condita loca transportari, proferuntur tamen alia quadam experientia de hisdem non translatis aliis, sed profundo in eodem loco somno consopitis, In quo se ungerant. Respondent Spineus & Martinus Delrio divina & inscrutabili permissione id relinqui demonis ipsius arbitrio, ut vel transvehat vigilantes, vel jampridem obsequio suo addictos fortilegos consopiat, quæque libuerit somnia jaentibus immittat, prout rebus suis magis conducere judicat. Si jacentes sopore demergat, judicibus & inquisitoribus persuadere intendens falsa & inania esse quæ de sagarum transvectionibus circumferuntur, atque ita justitiam impediatur progressum & executionem, horrendaque crimina impunitate foveantur & crescant, hoc ipsum magno lucro deputat: id enim obtinet ut quantumcumque urgeant criminum nefariorum rationes & præsumptiones, usque adeo nonnullis magistratus præoccupatos hujusce canonis fictitii auctoritas detineat, ut nullas probationes aut accusationes audire velint: quæ etiam in re, atheis & impiis patrocinantur, omnem abrogantibus fidem de Deo, & de spirituum separatorum existentia, de animarum ratione præditarum immortalitate, eaque pro deliriis haberi, remordente etiam propria ratione & conscientia, fatagentibus. Similis quoque fallacia & pertinacia probas etiam mentes incesit, quæ tametsi certis nonnunquam argumentis constet quæpiam esse energumenum, dum sic disponente Deo abditissima revelat, longèque remota certissime prodit, ignotis loquitur linguas, eaque effatur & operatur quæ naturæ vires excedunt, se tamen fraudibus demonum turpiter illudi finunt, dum isti de exorcismis fatigantur aut cruciuntur, locove cedere compellantur, atroces agitationes effingunt ad falsos explorandum adhibitos exorcismos, fallarum reliquiarum oppositiones, & vulgaris nec lustralis aquæ asperisiones.

13. Neque vero sibi quisquam in animum inducat, demoniaca vi fieri posse, ut anima relicto corpore jacente oberret ac circumvagetur, posteaque ad proprium corpus remeet, aut venire posse ut stante in corpore anima commigret phantasia in loca distita, nil habet enim substantiæ ipsa phantasia, sed est accidens & facultas animæ sensitivæ inherens, & ab ipsa inseparabilis, nullum enim potest accidens ab uno subjecto in alterum demigrare. Ipsa vero anima non nisi per mortem a proprio corpore recedit. Neque potest nisi per divinam virtutem corpus a quo recessit resumere, a privatione quippe ad habitum nullus datur regressus, ut scite docet Aristoteles. Hallucinatur ergo Plinius lib. 7. cap. 52. hæc referens, Hermetimi Clazomenii animam relicto corpore errare solitam, vagamque e longinquo multa enuntiare, quæ nisi a præsentis nosci non possent, corpore interim semianimi, donec cremato eo inimici qui Cantharidæ vocabantur, remeanti animæ velut vaginam ademerint.

14. Porro Canon isti suppositio non magis ab Augustino quam ab Ancyranæ Synodo ascribenda est auctoritas. Recensetur quidem inter Augustini opera in appendice toni tertii tractatus & de spiritu & anima, cujus cap. 28. iisdem verbis referuntur quæ canone isto comprehenduntur: verumtamen docti omnes consentiunt pseudoepigraphum tractatum ipsum, eique falso affixum, cum sit, ut produnt quos allegat auctores, Augustini ætate multo recentior. De magis demonica quedam alia requiri possunt a me observata superius ad Canones 34. & 35. Concilii Illiberitani.

NEOCÆSAREENSE CONCILIUM

CONCILIIUM ARELATENSE

Anni Christi 314.

Anno Christi 314.

1. Post Ancyranum eodem anno celebratum fuit Neocæsareense Concilium, eodem præfidente Vitali Antiocheno, qui Ancyrano præfuerat. In primo quidem poenitentia delictorum constituitur. In hoc autem irregularitates definiuntur ab Ecclesiasticis ordinibus atcentes. Est Neocæsarea Cappadociæ urbs quam Lycus flumen interfuit.

2. Canon VIII. decernit esse sacris Ordinibus inhabilem & irregularem cujus fuerit uxor adultera. Citatur in decreto cap. si cujus uxorem adulterium commississe, cum esset laicus, evidenter fuerit comprobatum, hic ad officium Ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in Clericatu jam eo constituto adulteravit, dato repudio eam dimittere debet. Si vero retinere ejus consortium velit, non potest suscipere ministerio perfrui. Quæritur an qui eam virginem duxit uxorem, quæ fuerat alteri deponata, sed non cognita, censetur bigamus? Negative respondet Pelagius Papa cap. Valentino, dist. 34. & Innocentius Papa III. cap. debitam, de bigamis.

3. Canon IX. irregularem dicit respectu Sacerdotii, & Can. X. respectu etiam Diaconatus, qui fuerit aliquando fornicatus, ut si post tale delictum contingat ordinari, sit suspensus ab illius quem indebite suscepit ordinis exercitio. Id jam est abolitum: sed tamen inde colligitur, quantum illis temporibus vitæ antea: innocentiam Ecclesiæ ad Ordinum susceptionem exigebat sacrumque Ministerium. Similiter Nicænus canon 2. illi viam ad sacros Ordines præcludit, qui peccatum carnale vel femel commiserit. Quod idem ante statuerat Eliberitanus canon 30. his verbis: *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint machari*.

4. Canon XI. Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vita: sed obferret usque ad præfinitum tempus. Dominus enim noster Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est; & tunc prædicavit.

Citatur in Decreto dist. 78. cap. Presbyter: fuit olim ubique recepta Ecclesiæ disciplina, ne annis triginta juniores ad Sacerdotium promoverentur: tum apud Græcos, ut hic docet Neocæsariensis canon: tum apud Latinos, ut constituitur Agathensis Concilii can. 17. *Presbyterum vero vel Episcopum ante triginta annos, id est, antequam ad perfecti viri ætatem perveniat: & Diaconum ante viginti quinque, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat: ne per ætatem (quod aliquoties evenit) aliquo errore culpentur*. Exdem quoque ætates præfigurantur respective in Sacerdotibus & Diaconis ordinandis in quarta Synodo Toletana can. 19. Vide in Decreto, dist. 77. cap. Episcopus, &c. in veteri. Posterior Ecclesiæ disciplina laxior evasit. Sic enim sancivit Tridentini Concilii sess. 23. cap. 11. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante viginti annos, ad Diaconatus ante viginti annos, ad Presbyteratus ante viginti quinque ætatis sua annum promoveatur*.

5. Canon XII. illum a Sacerdotio excludit, qui ægrotaans fuerit illuminatus, id est baptizatus, eo quod per accidens, & salutis animæ suæ neglectum in id temporis baptismum distulerit. Eos qui lecto per ægritudinem decumbentes lavacro regenerationis abluti sunt, sanctus Cyprianus per ludibrium clinicos vocat, qui vero sani peripareticos epist. 76. ad Magnum. Neque vero hanc irregularitatem Neocæsariensis Synodus prima introduxit: longe enim antea Romanus Episcopus Cornelius, circa ann. Christi 255. in sua ad Fabium Antiochenum epistola, quam refert Eusebius lib. 6. hist. Eccles. cap. 33. diferte asserit, Novatianum non potuisse consecrari Episcopum, quia non licet baptizatos in lecto assumere in Clerum.

6. Canon XV. ita decernit: *Diaconi septem esse debent ex Canone, etiam si magna sit civitas, ejus autem fidem facit liber Althorum*.

Habetur in decreto, c. Diaconi septem, dist. 93. idque adeo verum est, ut ne Roma quidem numerus hie excederetur. Cornelius enim Pontifex numerum Cleri Romæ consentiens recensens, in eadem ad Fabium Epistola sic enumerat: Episcopum unum, Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas & Lectores cum Ollariis quinquaginta duos.

Cassurii, Notitiæ Ecclesiasticæ.

NEO.

1. Mensurius Carthaginis Episcopus a tyranno Maxentio Romanus evocatus, senioribus quibusdam vasa Ecclesiæ sacra discessurus commendaverat. Inter hæc moritur Mensurius, atque in hujus sedem legitimis suffragiis promovetur Cæcilianus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, qui statim pro suo officio vasa Ecclesiæ a depositariis reposcit. At isti, qui sacrilego ausu sibi ea retinebant, a Cæciliano communiione se merito divedere protestantur, triplici ad hunc finem excogitata calumnia. Primo sacrorum Voluminum traditionis in manus infidelium Magistratum, quam Cæciliano affigebant. Secundo parisi traditionis, cujus sine ulla probatione ordinatorem Cæciliano Felicem Aptungitanum Episcopum insimulabant. Tertio subtractionis alimoniarum, quas fideles fratribus confessoribus vinculis detentis communi pietate destinabant. Accusatorum nequitiam fovebat & accendebat Lucilla, Cæciliano pridem infensa ex impatiente justæ reprehensionis, qua eam Diaconus Cæcilianus in Ecclesiâ perstrinxerat, cum esset illa opibus & animi præsumptione superba. Fallas vero accusationes auctores schismatis Cæciliano intendebant, ipsi tamen veris criminibus obnoxii. Ex tribus enim Donatistarum conciliabulis, Cirtensibus & duobus Carthaginensibus, quæ ad finem præcedentis sæculi atxui, perspicue constat, accusatores istos fuisse, sub novissima persecutione, tum Librorum sacrorum, tum sacra suppellectilis perfidos traditores.

2. Donatista (sic dicti a Donato a casis nigris præcipuo schismatis auctore, qui adversus Cæcilianum ordinat Majorinum Pseudoepiscopum Carthaginis) intercessorem adhibent Anulium Africæ Proconsulem, ut quandoquidem inter Episcopos Africæ controversia ventilabatur, ideoque suspecti dici possent in causa Cæciliani, ab Imperatore Constantino Episcopos, quos ei visum fuerit Gallicanos, obtineat, quorum judicio illa dirimatur. Constantinus tres designat qui judicium ferant, Rheticum Augustodunensem, Maternum Agrippinensem, & Marinum Arelatensem. Sed antequam his apud eos contestaretur, aliter disponit, judiciumque remittit Melchiodi Romano Pontifici, qui sibi quindecim accefferet Italici Episcopos, adjunctis insuper tribus nominatis Gallicanis. Itaque Romanam accedunt Cæcilianus postulat a Donatistis reus cum decem Episcopis Africanis sui defensoribus, simulque decem Episcopi Donatistæ illius accusatores. Agitur causa in aedibus Lateranis, quas Imperatrix Fausta possidebat hereditarias. Examinatis ad amissum causæ instrumentis sui omne adjudicatur Cæciliano, anno Christi 314. Quinetiam ut firmiore nexu inter dissidentes conciliaretur, admittuntur simul in communionem Episcopi, quos Majorinus in schismate ordinat, lexque generalis profertur: ut ubicunque duarum partium ordinati fuerint Episcopi, is qui prior manuum impositionem acceperit, exerceat Episcopatum: alteri vero quo meliorem modo fieri possent, provideatur, dummodo a schismate discedatur. Quod prudens Melchiodi judicium eximie collaudatur ab Augustino epist. 162.

3. At pervicaces Donatistæ ab hac sententia provocant ad Constantinum, qui retentis apud se Cæciliano & Donato, ne per utriusque reditum incendium istud Africanas Ecclesias devastaret, non potuit tamen Donati ejulque sequacium pertinaciam ulla ratione flectere. Quocirca novum illis indulgit plenioris atque amplissimi examinis gratia Concilium Arelatense cogendum. Præstat hic narrantis Augustini verba subtexere epist. 166. *Scitote quod primi majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discentiam atque deservendam Episcopis delegavit. Quod & factum est in urbe Roma præfidente Melchiodi illius Episcopo cum multis collegis suis: qui cum Cæcilianum innocentem pronuntiasent, & Donatum qui schisma Carthaginense fecerat sententia percussisset, iterum vestri ad Imperatorem venerunt, & de judicio in quo vincti fuerant, murmuraverunt. Quomodo vero potest malus litigator laudare iudices, quibus judicantibus victus est? Iterum tamen clementissimus Imperator alios iudices Episcopos dedit apud Arelatensem Gallia civitatem: & ab istis vestri ad illum Imperatorem appellaverunt, donec ipse causam cognosceret, & innocentem Cæcilianum, & istos calumniosos pronuntiaret. Nulla hic a Melchiodi & collegarum ejus Episcoporum judicio appellatio: sed tantum querimonia & murmuratio: tanquam eorum,*

E

qui